

§. VII. Nullatenus igitur, quamvis nihil magis optandum, tam facile de consensu adversae partis triumphandum erat Allocatori, quamdiu offendicula illa & reservata, non pura mente & sincera remota esse deprehenduntur. Cothurnatae enim & generalissimae, vel speciosae etiam, propositiones, in quibus sibi fингit consensum, sunt latebrae, sub quibus omnis error commode adhuc potest occultari. Nam illa sex momenta, quae allata videmus, totidem verbis, quotquot ab Allocatore adferuntur, Nestorius, & plures alii Heterodoxi, quos Ecclesia purior toto pectore aversata & detestata est, subscriptione sua confirmabunt protinus & amplectentur. Peritura vero sic est corona, quam pepererunt sibi per tot certamina doctores sinceri; perituri labores & sudores, quos pro defendenda veritate coelesti susceperunt, ut ostenderent, quam necesse sit, doctrinas unionem personalem in Christo solventes amoliri a coetu fidelium. Pari ratione demum membrum ecclesiae fu-
erit, quicquid demum statuerit, dummodo in his sex momentis tueatur concordiam & consensum. ZWINGLIUS sic, a LVTHERO alioquin alienissimus, jungetur ipsi nullo negotio, cum ea, in qui-
bus adhuc dissonant, parvi admodum sint ponderis. Stupi-
dos esse sic oportuerit, quicunque ab initio reformationis san-
ctae & plane divinae, CALVINI, ZWINGLII, BEZAE & simi-
lium aliorum erroribus tanto conatu obviam iverunt, eosque ab ecclesia longius abesse voluerunt.

Momentum II.

Neque etiam Dissensus inter nos & Re-
formatos circa doctrinam de Persona
Christi ab utraque parte sufficienter exposi-
tus est.